



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

1. Fucata eloquentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

cata id quod erat, vaccam à Jove sibi dono dari postulavit; quād cūm accepisset, apposuit ei custodem Argum, centum oculis præditum; à quo cūm molestissimā custodiā premēretur, ægrè id ferens Jupiter per Mercurium curavit eum interficiendum. Quod ita contigit:

Centum luminibus cinctum caput Argus habebat,  
Inde suis vicibus capiebant bina quietem:  
Cætera servabant, atque in statione maneabant,  
Constiterat quocunque loco, spectabat ad Jo.

Hunc igitur custodem decepturus Mercurius, talaria pedibus, capite galerum induit, manum impedit virga, pastorēmque habitu simulans, ante se capellas agit in rura, carmenque agreste modulatur. Argus captus dulcedine cantus, incognitum Deum invitat ad secum confidendum in umbra. Mercurius quā fabulando, quā canendo jam longè protraxerat diem, & paulatim in somnum reclinārat Argum; sed quia luminibus quibusdam clausis, vigilabant alia, non poterat totum consopire hominem; donec medicatā virgā permulxit oculos, eosque leñissimo contactu, penitus occlusit. Senibus jam omnibus destituto, caput ense falcato demetit. Jacet Argus extinctus; cui honorem ut aliquem servaret Juno, oculos exemit, & caudæ pavoninæ inseruit.

### Ethica.

I. (a) Relata hæc ad mores fabula docet, neminem adeò oculatum & prudentem esse, cui à Mercurio, id est, homine versuto & eloquente imponi nequeat. Mercurius enim olim eloquentiæ & versutiæ Deus habebatur. Serviebant ei plures ad fallendum Argum technæ. Primo, simulatio; nam ut dolum tegeret, simplicitatem pastoris præ se tulit, & similitudine habitus ac fortunæ, sese in amicitiam hominis insinuavit. Deinde adhibuit insidiosam facundiam; huic adjunxit illecebrosos modulos: virgam præterea soporiferam (scilicet caduceum) quæ variis in usus serviebat; de qua Maro Æneid. 4.

----- hac animas ille evocat orco:  
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:  
Dat somnos, adimitque, & lumina morte resignat,  
Illâ fretus agit ventos, & turbida tranat  
Nubila.

Quid enim non potest utramque in partem eloquentia, sive verat  
I  
& fin-

Eucata eloquentia.

& sincera : sive fallax & fucata ? salutem affert alijs , perniciem alijs . Hinc illa regnum , & rerum publicarum commoda , hinc calamitates . *Orator* , Catone teste , est vir bonus , dicendi peritus ; qualis non fuit Mercurius , mendaciorum Deus . Hunc imitantur sive *Cansidici* , qui cum Tullio gloriantur , se Judicibus offusidisse tenebras : Sive vafri Principum *Legati* , qui Suadam in ore , Fallaciam in pectore gestant ; quorum infigne caduceus est , pacis quidem & amicitiae Symbolum , sed idem dolosa simul est Mercurij virga , serpentibus circumvoluta . Hac illi instructi quid non efficiunt ? etiam vigilantissimos oculos fascinant , & tenebris obducunt . Neque verò simul omne lumen auferunt ; aliud post aliud claudunt , donec præsenti ; sed improviso exitio male cautos involvant . Vitasset periculum Argus , si auribus suis imperasset ; ubi primùm cantu se capi sensit , & paulatim soporem oculis obrepere , debuit insidias advertere . Atque hic Argus pastorem agebat , quo nomine populorum quoque Rectores appellantur , quos sèpius prodidit & perdidit Mercurialis hæc tam lingua , quam fistula . Et utinam cum Politica profana , non etiam sacra everteretur ; sensit Europa ruinam , quam blanda Hæresis verborum lenocinijs invexit , primò majora capita obtenebravit , postea vulgi oculos excæcavit , ut de Provincia non una cani posset illud Poëta :

Arge jaces , quodque in tot lumina lumen habebas ,  
Extinctum est , centumque oculos nox occupat una .

Opus igitur est vigilantiā ad versum fucatas & dolosas blandientium linguas . Incendium suum cui debet Troia , nisi compositis Sinonis perfidi fraudibus ? De quo *Eneid*. 2.

Talibus insidijs , perjurique arte Sinonis  
Credita res : captique dolis , lacrimisque coactis ,  
Quos neque Tydides , nec Larissæus Achilles ,  
Non anni domuere decem , non mille carinæ .

Unus homo Phrygiam exoculavit , quia Trojanorum nemo vigilabat . Hinc Græci

Invadunt urbem vino , somnōque sepultam

Neque frustra Poëta in galea Palladis gallum gallinaceum præfigerunt ; docere namque volebant , viro sapienti ( qui per Palladem designatur ) vigilandum esse . Eustathius Iliad . 2. memorat Argum quendam Peloponesi regem , quod sapientiā excelleret , παντήν appellatum , hoc est , omnia videntem , totoque oculatum corpore ; quod sibi dictum putent

tent Principes ac magistratus, quibus maxima opus est vigilantiâ & circumspetione. Neque verò infidiae tantum hostium, sed etiam blandimenta adulatorum timenda sunt illis. Mercurij virga erat auro incrusta; cujus oculos non perstringeret? erat pariter serpentibus cincta, Martiale teste, lib. 7.

Aurea cui torto virga dracone viret.

Quis non timeret, & caveret? ubi draco, ibi venenum, ubi aurum, ibi exitium. Hic fulgor quot excœcat, & subvertit! pro speculo caute-læ, serviat nimium securis, Turni clypeus, de quo Æneid. 7.

At lœvem clypeum sublatis cornibus Jo-

Auro insignibat, jam fetis obsita, jam bos:

Argumentum ingens, & Custos Virginis Argus.

II. (b) Alterum hic documentum præbetur, Custodia filiarum solicita. Mercurius non minùs nequiter, quam crudeliter Jovis lenonem egit, & puellam sopito primùm Argo, deinde occiso subduxit. Idem nimis quam saepe incuriosis parentibus accidit, quorum filias male custoditas seducunt, ac corrumpunt lascivi juvenculi. Juxta Hugonem Cardinalem in Cant. 2. Virginitas est lilyum inter spinas, hoc est, inter procos; plerūque vulneratur. Quare? quia deest custodientium oculus. Plutarchus tradit statuam Veneris cum testudine seu cochlea sub pedibus, fuisse effectam à Phidias, ut nōrint filiæ, domus sibi custodiā curæ ac cordi esse debere.

Idem Palladis simulacro Draconem apposuit, quem pedibus Dea comprimeret, quò significaret, virgines pervigili cura continendas esse. Sanè draco ab acutissimo visu nomen habet, παρὰ τὸ δέρματα acutè videre. Quò spectat etymon nominis παράδεινος, quod Grammatici deflent à παράδειν τῷ μῆτρι, quod virgo apud matrem manere beat. Monet Siracides c. 42. Super filiam luxuriosam firma custodiam, ne quando faciat te venire in opprobrium. Et ibidem: Filia, patris abscondita est vigilia, & salicitudo ejus auffert somnum. In quæ verba Cornelius: Filia patri suo afferit occultam vigiliam; hoc est, oportet patrem vigilare in statum & mores filiæ, & perpetem Solitudinem habere, ne filia à quopiam juvene decipiatur, & in flore juventæ flaccescat. Nota est enim sexus hujus levitas, infirmitas, inconstantia. Tristi versiculi:

Quid levius vento? fulmen. Quid fulmine? fama,

Quid fama? muller. Quid muliere? nihil.

Sunt enim multi Pharaones, Sichemi, Thesci, Parides, Jasones,

I 2

plu-

(b) Puellarum custodia.